



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Calumniator cur sibi & alijs perniciosus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

denus Nicæna acta, quæ non tantum docent, in imaginum persecutorem iustissimè vindicatum esse; sed etiam veneficum id, quod & à ratione, & à veritate longè auersum, consulentem, sibi met ipsi pessimè consuluisse. Neque enim tyrannus hoc consilio vitam prolongauit, sed incidit, neque Hebræus aliud obtinuit, quàm vt, mercedis loco, turpissima morte mactaretur. Ita ad perniciem elabuntur ingenia, sine consilio consulentia; aut malitiose suadentia vanitatem.

CAPVT XLIX.

Calumnia in calumniatoris caput reuerſa.

I.

S. Thom. 2. 2.
quæst. 68,
art. 3.



Infausta linguæ soboles est etiam *calumnia*, seu falsa & malitiosa criminis impositio, diabolicum vitium, nam & malus spiritus hinc *diabolus* appellatur. Hæc improba oris soboles tres contaminat, delatum, cui aliquid mali per mendacium affingit; auditorem calumniæ, qui, quia sæpe credit, quod clanculum audit, delatum ad respondendum & refellendum non admittit: ac demum delatorem quoque ipsum in quem reuolat, sicut sagitta à clypeo repercussa. Siquidem primò, eius modi sycophanta, apud prudentes è cantu, vt auis, cognoscitur, & horretur. Socrates calumniatorem nequaquam admittendum esse idcirco suadebat, quia non ex benevolentia tecum, sed malevolentia loquitur: & quemadmodum aliorum arcana tibi detexit, similiter etiam, quæ tu dixeris, exponet alijs. Vt ergo metuendus, sic fugiendus est: neque enim tibi experieris, quàm alijs, fidelio rem; cum idem sit, hoc est, calumniator; à quo quid potes aliud, quàm calumniam expectare? Tange illum, & vel modicum offende, mox videbis eum linguam in promptu habere, sicut scorpio caudam, quam ad quemuis afflatum vibrat. Itaque gratiâ sæpe seipsum antè, quàm alterum priuat.

Antonius in
Melissa par. 1.
ser. 35 Max.
ser. 10.

II.

Secundò delator debet timere alium delatorem; qui si desit, tamen sæpe veritas cum tempore emergit, venitque in lucem; & calumnia non rarò, se ipsam prodit. Quid tunc non refundit malorum in authorem suum? Notam illi in frontem, aut saltem in famam inurit; odium creat; fidem omnem adimit; adeò, vt in mendacio deprehensus, postea quoque, cum vera dicit, fidem non merca-